Apes flore buxi pereunt.

moriuntur: ob id procul aluearijs feratur. Multa alia incommoda affert hæc planta, quæ solo ligno utilis est, & gratiosa: lignum certè solidum, & (ut aliàs dixi) nobilitate nulli cedit. Gallia montes habet, & colles hoc plantæ genere plenos: frigidis enim & aridis, perflatisq; locis fœliciter prouenit. Simili ratione similes prouenium plantæ generatione, uelut tritici ferax solũ est, quod ebulũ, trifolium, rubum, quercũ pirum, & prunũ syluestrem, tum herbã pratensem, & bulbũ minutũ, idemq; nigrũ est, aut cinerei coloris.

Frumẽti ferax solum.

Plantis quę aquæ utiliores.

Aquæ pluuiales, plantis utiliores sunt longè, quàm irriguæ, quoniam calidiores. unde etiam irriguas fontium meliores sunt, quàm puteorum. Adeò enim fœcundæ sunt aquæ pluuiales, ut quocunq; loco ceciderint, plenæ anima uideantur: in mari enim & lacubus, piscium generationẽ augent, eosq; pingue faciunt: in stagnis & foueis, nouos pisces procreant: in terra, iam natas plantas alunt, & nouas progignunt. Itaq; & si irriguæ in Sole manserint, aut per loca pinguia defluxerint, fœcundiores sunt: quales quæ è montibus decidunt: ob id etiã in sterilibus regionibus iuxta montium radices, prata amœna uisuntur. Pluuialis uerò aqua, præter id quod pinguior est, & minùs frigida, quàm irriguacũ sensim instilletur, melius cõbibitur, nec effluit, nec radices plantarum nudat: quod malum, plurimùm illis obest.

PLANTARVM MIRACVLA. CAPVT XXII.

Carbunculi sub plantis.

INTER plantarum mira, illud referri debet, quòd herbæ beati Ioannis, sub eiusdẽ festo die, carbũculus solet inueniri. Adeò uerò hoc frequens, ut meminerim quandoq; tredecim, una eius sanẽti uigilia inuenisse.

uenisse. Eram autem puer, nec satis memoriâ teneo, tametsi existimem eam esse uerbenam. Nec credendum est, non prius illos ibi extitisse: esset enim res miraculo proxima. & unde maius argumentum quæreretur. Ob hoc igitur nata est opinio, quòd iuxta semitas ciuitatis oriebatur, ubi carbones cum ruderibus transferri solent. Non putrescunt autem carbones, ut aliàs dictum est, ob id erui nihil mirum. Verisimile ergo, plantam hanc iuxta illos nasci, uelut ficus lætior inter lapides: nam spontè etiam nasci uidetur.

De amicitia uerò & odio plantarum, referunt res prorsus miras: atq; inter alia, arundinem adeò filicem odisse, ut si locus filice abundans arundinum sylua sepiatur, interire filicem, ut sola umbra perniciosa sit. Nec tamen ualdè mirum, diffidere arundinem filici: siquidem,

Cannarum seu arundinum, & filicis odium.

Conueniet nulli, qui secum diffidet ipse.

Nam germina filicis excisa: dum putrescunt, feruntur radicem occidere, ut succus teneriorum frondium uenenum sit radici, forsan etiam uulnere læditur.

Vidimus cynorhodo adnasci spongiolæ in modum (fungus est is) luteæ quippiam friabile, adeò ut farinam referret: erat autem splendidissimi coloris, odorisq; suauissimi. Existimo spongias, quæ ei plantæ adnasci solent, ubi maturuerint, in hanc materiam transire: dignam certè quæ rebus memorabilibus adnumeretur, seu ex eo genere sit, seu sola una species talis sit. Et neq; carere magna ui tam admirabile naturæ inuentum, uerisimile est. Erat autem tempus anni, ni fallor, autumni finis.

Spõgia, seu fungus cynorhodi.

In Tarraconensi Hispania, nunc uocant Cataloniam, herba Mauri cuiusdam industria cognita est, quam uocant Escorzoneram, aduersus uenena præstans: quæ etiam strenuè morbis oculorum auxiliatur. Hæc uulgaris est in pro-

Herba aduersus uenena.

uincia Carthagena, iuxta Darienem. Existimant eandem esse, qua olim Ptolemæus liberatus sit. Credendum uerò est, non somnio Alexandro ostensam uiro impio, sed illum solertia à captiuo exploratam (nam mille habebat) docuisse familiarē suum. Cūm enim ueneno infectas sagittas esse constaret, quis dubitare potest, cùm tot illi essent captiui, per tormenta, & testimoniorum comparationem, noluisse & medicamentum, & auxilium, si quod esset, noscere?

Animal fabulosum.

Atq; hæc parua, sed uera: quod uerò subijcitur, tantò absurdius, quò maius: apud Tartaros scilicet, semen seri peponis semine paulò maius atq; rotundius, ex quo planta nascatur palmorum quinq; altitudine, agno persimilis, oculis, auribus, ore, cruribus, pilo, sanguine, carne. Sed caro cancerorum carni persimilis, non corio, sed cute tenui contegitur, & absq; pilo, nisi in oculis, ore, & auribus: desunt & cruribus ungues: radix plantæ umbilico iungitur per truncū. Animal hoc circumiacētibus herbis uescitur: ubi herbæ defuerint, exarescit. Vocant hoc patria lingua Borametz, id est, quasi agnus: nullum animal hoc uescitur, quòd herbis solis uiuere assueuerit, sed est esca carniuoris: referunt, ipsum nasci in Sauolzensi regione, inter Volgam & Saik flumina. Hæc est fabula. Sed uideamus quanti sit rem tractare naturaliter, nam Plinius pauca temerè reiecit, multa accepit, quæ tamen certam rationem non habent. Nos uerò non minorem utilitatem ex fabularum recitatione recipimus, quàm historiæ. Primùm igitur hæc nos in memoriam pulcherrimi quæsiti reuocat, cur nullum animal seri posit, quod terræ annexum maneat? Id accidit, quoniam cùm terræ annectatur planta, necessariò solùm in partem unam extenditur: animal autem, in omnem. Præterea, animal quod sanguine præditum est, cor habet: terra autem,

Planta nulla an animal.

pulsa-

pulsationi, & calori inepta est. Vnde uidemus animalia, quæ ex semine generantur, calido indigere: seu in ouis fota procreentur, seu in utero: at terra & aër non possunt esse adeò calida. Inde patet, cur nulla planta carnem habet. Omnis enim caro, ex sanguine: & ubi sanguis, ibi cor & calor: planta uerò neq; cor habere potest, neq; calorem ingentem. Præterea omnis planta, cùm in longum crescat, lignosam partem ubiq; habeat, necesse est: in animali autem caro ob id est, quia humidum à sicco separatur, ut ossa & chartilagines: neq; enim talia carni immixta sunt. Rursus quæritur, quare in mari quædam plantæ sentiant, in terra non? At hoc inferiùs exponetur. Igitur forsan in crasso aëre aliquam plantam, quæ sensum habeat, & similem carni imperfectæ, qualis est cochlearum & piscium, non erit impossibile.

Planta nulla cur carnē gignat.

Inter plantas mirabiles est, quam appellant plantaginem marinam, cuius folium mensæ formam, cum quatuor cornibus refert: uidimus enatam in littore Oceani in Neustria. Vulgare est apud nos, labrum Veneris, herba quæ binis utrinq; foliis in modum uasculi coëuntibus aquam colligit, ex qua auiculæ in siccitatibus bibere solent: si aquam excutias, rorem colliges. Fortuitúmne sit hoc, an naturali quadam abdita causa, ut possit humorem continere incertum est: dicetur autem generaliter alibi. Mirabilis quoq; est planta, quam Auerroës terræmotus uocat. At ego de ortu illius, nihil habeo quod dicam: constat tamen, eam nasci post terræmotum, quasi ex exhalatione, uaporéq;, ex quo terræmotus factus est.

Plantago marina.

Labrum Veneris.

Secundo Meteororū.

Circa generationem quoq; plantarum, illud mirum est, quòd petrosilium Macedonicum, quam Alexandrinam uocari

Plantę hyeme florētes.

cari diximus, & crocus, hyeme germinant, ac florent, cùm aliæ herbæ pereunt, plantis q; folia excidunt. Vix hoc in arboribus inuenias: atq; hæc oculis spectauimus in regione nostra. Causam esse reor, humidum benè pingue: nam toto anno uirescunt, & uelut homines calorem maiorem sub autumni tempore concipiunt, & ob id calidas plantas esse oportet.

Gossipium uariorũ colorum.

Id etiam mirabile, sed non ratione caret, quod referunt in Peru regione, gossipium esse uariorum colorũ, scilicet album aliud, aliud rubrum, aliud uiride, cœruleúmue. Sed quid hoc est, cùm & semina in eodem genere uelut sinapis, & flores uelut rosæ diuersorum colorum inueniantur?

Planta, cuius folia si tangantur, arescunt.

Quod uerò admiratione dignius est, arborem esse referunt, cuius si folia tangantur, arescunt. Forsan arescere folia quis meritò dicet, quòd humido tenuissimo prædita sint: talia facilè siccari necesse est. Quæ uerò luteis floribus est, & folijs apij, erodit q; sana, & ulcera praua sanat, nihil habet admiratione dignum: ueruntamen si ulcus sordidum non fuerit, talia contingere non possunt.

Oleæ, & quercus inimicitia.

Referri quoque inter miracula potest, quòd oleam dicant è regione quercus positam sterilescere, & in aduersam partem flecti, tanquam fugientem hostem. Vitem uerò cur olea odio habeat, non aliam ob causam, quàm quòd utraq; pingue humidum desideret. At inimicitiæ cum quercu, causa forsan non abs re existimabitur, contrarietas naturæ, quæ ad umbram licet, referri posit, meliùs ad halitum tamen reducenda erit.

Arbor mirabilis.

Quod uerò supra omnem fidem est, & tamen omnes constanter affirmant, id est, quòd in insula Ferri, quæ una est ex Fortunatis, arbor est, cuius usu uniuersa insula gaudet: cùm neq; riuus, neq; flumen, aut fons ibi sit, circa arborem

rem singulo mane densa nebula colligitur, quæ in aquam uersa, non solùm hominibus, sed & iumentis, & pecoribus satisfacit. Quomodo id fiat, non esset difficile imaginari: sed quomodo tantum aquæ colligatur, non possum interpretari. Ponamus enim solùm esse mille homines, totidemq; iumẽta: in singulos mensura aquæ, quod minimũ est, tribuatur in dies, fient duo mille mẽsuræ, amphoræ fermè quinquaginta sex: amphora continente triginta sex mensuras, seu libras septuagintanouem, ut iuxta Georgij Agricolæ sententiam exactiùs explicetur. Quî fieri potest, ut arbos una tantum aquæ in una die referat? Sed postquam hoc tot scriptores affirmant, fieri potest, ut tale aliquid contingat, sed modus nondum perspectus sit. Amphoræ capacitas.

In Aegypto referunt omnes, fuisse loti speciem, cuius radix cotoneo similis esset, nigro cortice, sapore uitelli oui, truncus similis fabæ, folia trifolij fermè (omnis enim lotus eiusmodi folijs est) flores candidi, parui, lilio similes: nascitur in aquis, maximè Nilo, ubi alluit & Euphrate: occidente Sole certum est, non solùm florem constringi, sed sub aquis se abdere, exoriente q; emergere super aquas, & aperiri. Sed quod maius est, in Euphrate dicunt se usq; ad mediam noctem contrahere adeò, ut manu inuenirì non queat, à media nocte paulatim exurgit, ita ut illuscente Sole penitùs emergat: ascendit tantundem ad meridiem. Semen capitibus continetur similibus papaueris capitibus, sed maioribus: ipsum autem milio simile ex quo panem conficiunt, unde palàm est plurimùm abundare. Lotos Aegyptia.

Hæc atq; similia commemorabo, quoniam usu & frequentia probari possunt: quæ uerò rara & extra usum, alijs relinquam, tametsi uera sint, cũ ipse nõ uiderim uelut de triorchi accipitre, quem adeò adamare triorchim centaurij genus, Triorchis herbæ. & accipitris consensus.

genus, refert Plinius ex Theophrasto, ut eos, qui herbam effoderint, referat ab aue peti. Quod multis modis cùm sit incredibile, & rarum, præteribo: nam neq; ratione probare, nec exemplo confirmare possum rem, quæ cui sit usui futura, ignoro, etiam si uera sit: præstat tamen scire, quæ uera sunt: hanc tamen herbam, sunt qui inter orchis genera referant. Sed huius historia in memoriam reuocauit, quod de primo centaurij genere scripsit Dioscorides, radicem illius, quam uulgus rhaponticum uocat, carnes in lebete iungere dum coquuntur, quod & de erica alij affirmant. hæc quidem uerisimilia, uelut de triorchi dicta, quòd uix secari possit, quin homo uulneretur: quod ego in quodam genere herbæ folio tenui, ualdè oblongo, duro, & triangulari, sæpè expertus sum: nam latera illius, nouaculæ instar incidũt: id etiam contingit in his, qui arundines attenuatas tractãt.

Res quę mànus secant, nobis nõ animaduertentibus.

Raparum semine antiquo prodire caules, caulium rapas etiam nasci, Varro prodidit. Eadem est mutatio inter ipsam & napum, soli, non ætatis permutatione: atq; hæc uerisimiliora. Sed postquam constat esse caules raparum trunco, nihil mirum: substantia enim molli sunt, & parùm uariant membra: ideò facilis transitus, tum quia facilè concipiunt: quæ enim facilè procreantur, ex semine oblæso etiam fiunt, ideoq; naturam mutare possunt: facilè uerò concipiunt, quia multum habent diluti humidi: hoc autem facilè paratur. Oximum autem flores uario modo emittere, candidos, roseos, purpureos: & ipsam plantam modò in serpillum, modò in sisymbrium uerti. Quòd si ita est, oportet eas esse affines, ac uelut perfectum atque imperfectum se habere.

Ozimi natura mira.

Rutæ uis mira.

Ruta uerò adeò acris est, ut meminerim in Scotia curasse hominem, qui cùm hortum curaret, putaretq; rutam,

quæ

quæ inibi copiosa erat, & manibus, & fronte igne sacro laborauit: id illi contigisse aiebat odore. Vt mirimè mirum sit abigere serpentes, si copiosa seratur. Mirum quod Turcico phasello obseruauimus: is aliquantò maior est nostro, sed admirabili naturæ arte humanam effigiem refert, fronte, oculis, naribus (si tamen pediculi partem illi annexam relinquas) ore, quod quasi duobus testibus munitum est, ac mento, nihil certè humanæ faciei natura similius fecit.

Phasellus Turcicus humana forma.

Est etiam sexus, ut de palma dixi, in quibusdam plantis, uelut ilice & quercu: unde illis iuxtà positis, adeò radices mutuò iunguntur, ut circum circa reliquis ex partibus truncus atq; orbatus stipes uideatur, uniq; radici arbor ipsa inniti: tam ingens desiderium masculi atq; fœminæ, ut inuicem iungãtur. Persæ tamen fructus edunt & propagantur. Itaq; & in animalibus quædam prouenire ex ouis absque masculo, tametsi masculus sit in ea specie, multi crediderint. Etenim, ut de piscibus dicam, ubi mas nullus est in eo genere, haud inconuenit, imò fermè necessarium est, absque masculo oua fœcunda esse: at ubi adest mas, aut rarissimùm, aut omninò esse non potest, ut fœcunda sine masculo sint oua. In plantis autem, quoniam pluribus modis proueniunt, sexuum perfectio generationem expolit, non impedit. Hæc itaq; rationem habent: ab alijs, ut falsis, tametsi claris ab authoribus scriptis, abstinemus. Quale illud quod Octauianus Horatianus in quarto de Physicis experimentis, quamuis medicus egregius, & archiatrus, scriptum reliquit: scilicet, Fabæ florentis summitates lectas, tritas, uasiq; terreo mandatas, post dies octoginta in caput infantis cruentum conformari, antea uerò muliebre corpus. Quæ enim uis formam dare potest, cùm desit generatio, atque ideò certa substantia? Et rursus, quomodo ex

Quercus cũ ilice cõsensus.

fœmineo corpore in infantis caput transire potest? Hæc igitur & talia quis facilè intelligat, uel omninò falsa esse, uel casu tantùm aliquando contigisse. Quòd uerò Aegyptum linum filis tot numero consiet, quot sint dies anni, id est, CCCLXV. tametsi Volaterranus etiam affirmet, & esse possit: dubium tamen apud me est. Sicut & illud, apud Benacum lacum abietis genus esse, ex quo uasa facta uinum remittant. Et rursus, oleam à capra decerptam, contabescere: hæc enim persæpè succedere, non tamen semper, est existimandum, atq; in alijs alia.

Linũ Aegyptium 365 filis cõstat.

Vasa, quæ uinũ remittunt.

Olea à capra decerpta moritur.

Inter miracula plantarum capillis Veneris reponitur, qui cùm æstate uireat, hyeme tamen non tabescit. Sed ut diximus, maius miraculum est de Alexandrina herba, quæ hyeme solùm germinat, & lætior prouenit. Ergo ad capillum Veneris refertur, quod aqua infusa non madeat, unde adiantum: ἀιάνω enim, madefacio. Constat tamen diu infusam aquis distillari, reddereq; copiosam aquã. An forsan mora trahit, aut aqua uiribus imbuta cùm destillatur, uires retinet, præsertim mixta ei, quàm planta ipsa reddit.

PLANTARVM CVRA.

CAP. XXIII.

Quercus Basileæ mira.

QVANTVM prosit cura arboribus, præcipuè ostendit quercus Basileæ in dũi Petri nemore, truncum terni uiri diductis manibus uix ambiunt: altitudo minor, quàm hominis: exerit in uertice sex, aut septem stolones sensim ascendentes, ut imaginẽ pateræ referant: inde crebrioribus ramis, tum & ramusculis ita densatur, ut olim referant Cæsarem Maximilianum cœnasse in ea, discubuisseq;. Siquidem ambitus pedes centum cõtinere

haud